Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Nobilis Saxionæ Fl. Visurgis cum Terris adjacentib.

Jansson, Jan

[Amsterdam], [1658?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-308795

Visual Library



Landesbibliothek Oldenburg

D5
134
4577

V I S U R G I S.

Myndam & Bremam diverſi fluvii, rivi & amnes in eum influunt, nempe *Dymela*, *Buner*, *Netta*, *Emmera*, *Homma*, *Hamela*, *VVehrda*, *Lutera*, *Owa*, *Allera*, æquè ac à *Sella*, *Ocar*, *Fuſe*, *Leina*, & *Dieſter*, in eundem ſe præcipitant. Infra urbem Bremam in Viſurgim recipiuntur fluvii *Ochtem*; *Hamme*, *VVumme*, per fluvium *Leeſem*; *Hunta* è Comitatu Oldenburgico, *Drepta* è Diœceſi Bremenſi; *Luna*, *Geeſta*, *Stotela*, *Bolla*, aquæ omnes piſcoſæ admodum. Viſurgis aqua mediocriter limpida eſt, dulcis & grati ſaporis, unde ad coquendam cereviſiam aptiſſima, ut illud Myndana, Hamelenſis & aliæ cereviſiæ palam teſtantur; ſed & Bremenſis cereviſia alba & rubra, ſalubritate, ſapore, ac durabilitate celebratur à Petro Bertio, lib. 3. Rerum Germanicarum, pag. 487. quapropter magna quantitate, non tantum in vicinas regiones, verum & in Orientem & Occidentem evehitur: eſt etiam aqua hæc tinctoribus & coriariis circumvicinis utilis & commoda: Sed inferius ad oſtium maris ſalſedinem recipit.

Piſces. Infra & circum Bremam omnis generis optimi piſces abundanter capiuntur, ut ſunt Acipenſeres, Salmones (quorum in murorum circuitu annuatim millia quædam extrahi ſolent, qui exſiccati apud exteros, grati ſaporis ac pinguedinis ergo, plurimum deſiderantur, & exportantur) Lampraſios, Novemoculos, Carpiones, Barbos, Lucios, Lupos, Rhombos, Rubroculos, Cyprinos latos, Trutas, Anguillas, Paſſeres, Scarros, & ſummatim omnium generum piſces delicatiores marinos & fluviatiles; ita tamen, ut ſingulis menſibus totius anni, hoc vel illud genus piſcium præcipuæ requiratur, quod aliis in locis rarius contingit: & piſcatores urbis Bremenſis antiquitus jus habent, retia ſua jaciendi ad oppidulum Hoya, juxta pontem ejus, & inde piſcandi uſque in apertum mare; quoniam piſcatio illinc, ut & in prædictis illabentibus fluviis Ochtem & Hunta ad hanc civitatem pertinet.

Habet igitur Bremenſis civitas, ſuper Viſurgim fluvium, jam à longis retro ſeculis, Protectionis facultatem & juriſdictonem conceſſam & ſtabilitam ab Henrico Imperatore, V. ejus nominis, ex bene meritis, anno 1111, & à Guilielmo, Wenceſlao, ac ſucceſſoribus Imperatoribus Romanis, privilegio confirmatam quam ultra quinque ſecula infallibiliter hactenus poſſidet, ac etiam illud, quod ab oppido Hoya uſque ad mare nullas urbes aut oppida juxta Viſurgis ripam fondare & extruere liceat.

Quum jam civitatis Bremæ ſæpius mentio facta fuerit, occaſione mirabilis ſitus, ornatus, & pretioſiſſimi theſauri hujus fluminis, quod illam mediam permeat; unde civitas maximum & florentiſſimum ejuſdem emporium eſt; non abs re erit, quædam de ea hîc adducere.

Urbs hæc Ptolemæo *Phabyranon*, prout Geographi communiter intelligunt, dicta eſt, hodie Brema, Bremen nominatur, quod ex Fabirano, demptâ primâ ſyllabâ, deducit Philippus Cluverius, lib. 3. antiquitatum Germanicarum, fol. 74. Alii à rubis ita naſcentibus vulgò Bramen/ vel à pontonibus, vernaculè Pramen/ quibuſcum flumen trajici & navigari ſolitum, nomen hoc derivari autumant, quod & ipſi ponti quoque convenerat; illo igitur tempore circa annum Chriſti 139, quo floruit Ptolemæus celebris locus fuit. Hinc etiam conjiciunt Hiſtorici, Principes Saxones *Horſtum* & *Hengiſtum* ad eorum in Angliam expeditionem, tres ſuas longas naves hîc conſtruendas curaviſſe, circa annum Chriſti 450. Urbi huic ut cæteris omnibus in Saxonia ſitis, inviolata ſemper ſua manſit libertas, quam nec Carolus Magnus Imperator imminuit, ſed potius confirmavit. Regiminis poteſtas & Judiciaria manus ſemper ſolum apud Conſules ſtetit, apud nullum enim auctorem reperias, quod quiſquam in contrarium obſtiterit. Hujus ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes; poſt temporum viciſſitudines, aliquando ſecundum illorum bene placita, immutata & denuo publicata ſunt. Magiſtratus inter eos, citra alterius cujuſdam auctoritatem, libere eligitur, & novus in defuncti locum ſupponitur: in Criminalibus non minus ac in Civilibus ſententiam fert: Sacram Cæſaream Rom. Majeſtatem tantum in ſecularibus ſuperiorem agnoſcit, ad eam appellationes inſtituuntur. Imperatorum Rom. laudabilia Regalia & Privilegia decenter conſervant; adeo ut præter prædicta Jura, in diverſis ad eandem urbem omni modo pertinentibus territoriis, *Bederckſa* & Blumenthal, Superior & Inferior *Viehland*, *VVerderland*, *Hollerland* & *Blockland*, *Neuwen-kirchen*, &c. æque ac in Urbe Sacra conſtituant, jus Patronatus exerceant, Conventus Eccleſiaſticos celebrent, Scholam illuſtrem ac Gymnaſium erigant, urbis circumvallationes & muros ad libitum, ordinent, conſtruant, reficiant; portas aperiant & claudant; armamentarium ſuum habeant & conſervent; ſtipendiarium militem in præſidium colligant; cum aliis & Anſeaticis civitatibus non tantum antiqua fœdera colant, ſed etiam cum ſummis Poteſtatibus nova adhuc ineant, & valide concludant. A Cæſarea Majeſtate illis permiſſum eſt propria vectigalia & tributa colligere; habent Jus Stapulæ, Jus monetandi; proprium pondus, ulnam & menſuram, &c. Sicut ergo à longis retro annis Brema Sacro Romano Imperio tantum immediate ſubjecta eſt, ita etiam apud Conſtitutiones Imperii in matricula continuò, ut anno 1267, 1431, 1467, 1471, 1481, & annis ſubſequentibus, inter Civitates Imperiales collocata fuit. Sed quia jam aliquandiu omnino nihil contribuerat, & propterea à Comitiis abſuerat, in Matricula anni 157., juxta Dominos Archiepiſcopos, & ſingulariter in ſignum Civitatis Imperialis nominabatur; à Rom. Cæſarea Majeſtate in tali ejus Statu confirmata eſt, & poſtmodum, in Conventibus Imperialibus, ab omnibus Imperii Statibus præſentibus, æque ac illuſtriſſimæ Poteſtates in ea qualitate ſecundum rationem ſalutata ac honorata fuerit. Integram hiſtoriam de rebus geſtis inclytæ hujus civitatis contexere, non eſt hujus loci; verùm quippiam ea de re reperire eſt apud Wilh. Dilicium in Chronico Bremenſi, & Werdenhagio in tractatu de Rebuſpublicis Hanſeaticis, tractatu ſpeciali, part. 1. cap. 2. & alias paſſim, ſic & apud alios. *Brema.*

V I S U R G I S,

Cum terris adjacentibus ab inclyta BREMA AD OSTIUM MARIS.

Nomen. VISURGIS Fluvius, Latinis ſic appellatur quod *vi ſurgat*, cum ſepiſſimè, Hiſtoricis id teſtantibus, plurimarum inundationum cauſa fuerit; ſcilicet cum altæ nives in montibus ac ſilvis ſubitò liqueſcunt, & aquæ copioſiſſimè in valles & flumina decurrunt; aut cum tempeſtates & imbres per dies aliquot continuos ingruunt; vel cum Aquilones vehementer aquas marinas in littora impellunt; maxima damna frequenter attulit cum ſic intumeſcens, aggerum repagula rumpit aut ſuperat. Saxonibus antiquis *Wieraha* dictus, ut patet ex privilegio Caroli M. Ecceſiæ Bremenſi dato, apud M. Adamum, lib. 1. cap. 10. Etiam *VVirra*, apud Erponem Lindenbrogium, in Hiſtoricis Archiepiſcopatus Bremenſis, ſub Adelberone, pag. 59. nam *A.* & *Aha* eorum linguâ fluvium denotat; Sibrandus Liclama ad L. L. Friſonum, pag. 38. quaſi diceres aquam dilatatam. Poſtea *VViſura*, Adamo Bremenſi, lib. 1, Hiſtor. Eccleſ. Brem. cap. 2. & *VViſera* dicta fuit; idem Lindenbrogius, dicto tractatu, pag. 2. & 85. Et Mercator noſter in Atlante, titulo de Germania ſcribit, quod apud Dionem, lib. 55. οὐισοῦργος, apud Ovidium, *Iturgus*: ibid. *Decolor, infeſtâ teſtis Iturgus aquâ*: *Viſurigis* à Ptolemæo; *Biſurgis* à Platone, *Veſatis* per Sigonium nominatus ſit. Viſurgis igitur inter præcipuos Germaniæ fluvios numerandus, qui in mare defluentes magnorum navium capaces ſunt.

Ortus. Ortum ſumit in ſilva Thurigenſi è duobus fontibus, qui duos rivulos conſtituunt; unus eſt *Vierra*, qui provenit non longè ab *Eiſſeld*, prope Thuringenſem ſilvam, & curſum flectit verſus *Hilpurgshauſen*, inde *Mainungen*, *Smalkaldiam*, *Saltzungen*, *Vacham*, *Trefordam*, *Wanfried*, *Eſchwegen*, *Allendorf*, & *Witzenhauſen* præterlabens; ut indicat Merianus in Topographia Haſſiæ: alter *Fulda* nomen habet, cum initium ſumat in Diœceſi ac circa urbem *Fulda* dictam, ac deinde *Hirſchfelt*, *Rodenburg*, *Melſungen*, & *Caſſel* Haſſiæ Principum ſedem curſu ſuo ſalutet: qui jam *Ederæ*, (quam Tacitus *Adranam* appellat) aquis adauctus ad Myndam, Brunſvicenſis Ducatus oppidum, cum dicto Vierra confluit; ita ut ambo hic nomen amittant, & conjuncti Viſurgim nominari incipiant. Paulo poſt & fluvius *Dymela* huic aquas ſuas communicat, & ſic auctus prædictum Ducatum Brunſvicenſem irrigat, Weſtfaliam à Saxonia dividens, quorum terminus ſemper eſt habitus, & etiamnum habetur. Hinc Diœceſin Padebornenſem, Abbatiam Corvey, Comitatus Ravensburg, Schouwenburg, Lippe, Pyrmond; Archiepiſcopatum & Epiſcopatus Mynden, Veerden, Bremen; Comitatus Hoya, Delmenhorſt, Oldenburg & Bremenſe territorium, pertranſiens, tandem in apertum mare devolvitur: ita ut Viſurgis ab oſtiis uſque ad fontes ejus 1780 ſtadia numeret, quorum 32 milliare Germanicum conſtituunt, ſicut ex Philippi Cluveri introductione in univerſalem Geographiam lib. 1. cap. 9. patet. Magnis navibus etiam ultra urbem Bremam navigabilis, adeo ut maxima mercimoniorum copia annuatim capacibus navigiis, vulgò *Eeken* nuncupatis, ad oppida Mynden, Wanfried, Caſſel, & inde rhedis & curribus per totam Germaniam, invehantur & exportentur. Plurimas alluit urbes, pagos & arces; inter que ſunt ut ſupæa diximus, *Mynden*, *Gieſelwerder*, *Harſtelle*, *Beverungen*, *Hoxter*, *Corvey*, *Holtzminden*, *Pol*, *Bodenwerder*, *Hehle*, *Gronde*, *Oſen*, *Hammelen*, *Oldendorff*, *Schauwenburg*, *Ruſtelen*, *Flota*, *Domus ad Bergam*, *Minden*, *Petershagen*, *Schluſſelburg*, *Stoltenow*, *Liebenow*, *Neuwenburg*, *Drakenburg*, *Hoya*, & *Bremen*, quæ ad ejus utramque ripam ſita, vetus & nova urbs, ponte ſuper Viſurgim ſtrato unita eſt. Hinc navibus per mare magnæ negotiationes cum incolis aliorum regnorum & provinciarum ad Oceanum & Mare Balticum inſtituuntur, omnis generis merces hinc inde vehendo & permutando. Habet autem Viſurgis fluvius ultra urbem Bremam tractu viginti duorum milliarium 26 vectigalia ſuper merces ſolvenda, præter quæ Comites in Oldenburg & Delmenhorſt annis 1562, 1570, 1576, 1577, 1582, aliud inſuper tentarunt imponere infra civitatem Bremenſem; quod tamen illis à ſummo Cæſareo & Electorali Collegio tunc temporis denegatum eſt. At cum Illuſtriſſimus Dominus Anthonius Gunther, Comes in Oldenburg, anno 1612. id ulterius requiſiviſſet, ac quodammodo Conſenſum impetraſſet; & in eo per civitatem Bremenſem & alios quorum intererat contradiceretur, ea res ad litis pendentiam in Aula Cæſarea delata eſt. *Curſus.* *Urbes quas lambit.*

Ut jam ad hunc fluvium revertamur, intra Myn- *Fluvii ac rivulii ab eo recepti.*

GERMANIA.

ALBER 134
Karten 0086
N 24
Landesbibliothek Oldenburg